

6

INDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM VRATISLAVIENSI

PER AESTATEM ANNI MDCCCLXXXIX

A DIE XXIV MENSIS APRILIS

HABENDARUM.

PRAEMISSA EST MARTINI HERTZ ADMONITIUNCULA HORATIANA.

—•••••—
TYPIS OFFICINAE UNIVERSITATIS (W. FRIEDRICH).

Cum anno praeterito ad ipsum hunc scholarum in universitate nostra per menses aestivos habendarum indicem praefatione aliqua solito more ad litteras communes pertinente instruendum codicis alicuius ante hos quadraginta tres annos Ambiani a me inspecti descriptionem litteris consignarem,*) imago totius illius temporis laetissimi ac fructuosissimi, quo mihi patris optimi munificentia liberaliter exornato per integros duos annos Germaniam meridionalem, Bataviam, Belgiam, Francogalliam, Italiam, Siciliam, Austriam permetiri bibliothecarumque thesauros ibi coacervatos inspicere atque ad studia mea adhibere licebat, vividissimis coloribus distincta animo meo atque oculis obversabatur. Ambianensis sane commoratio, quamvis ecclesiae cathedralis reverendissimae, amplissimae, pulcherrimae aspectu atque admiratione detinebar, ad perpaucas imaginis huius splendidissimae partes minus lucidas pertinebat. Memineram, me Ambianum tum, Belgia celerius peragrata, Lugduno Batavorum ante perbreve tempus relicto pervenisse atque a Garnerio, bibliothecae urbanae subpraefecto, comiter exceptum et in studiis benigne adiutum, praeterea tamen civibus non tantum omnino ignotum, sed ne unius quidem cognoscendi propter studiorum communionem curiosum, aliquot dies pessimo anni tempore squalidissimos fragmento alicui Prisciano et ipsi non nimis fructuoso excutiendo intentum satis morose ibi transegisse. Tum Lutetiam Parisiorum properandi bibliothecaeque illius regiae cimelia admirandi atque in res meas convertendi studiosissimum minus fere patriae desiderium me cepit quam almae illius sedis Musarum Batavae, ubi per decem fere hebdomades moratus eram, tempestate per se sane non minus iniqua satis tristes, sed non tantum studiorum meorum progressibus ac proventibus utilissimas, sed etiam secundissimas atque prosperrimas virorum in litteris his nostris principum atque adolescentium studiose eos aemulantium commercio, quo mihi, fautorum gravissimorum Augusti Boeckhii atque Friderici Ritschelii litteris commendaticii ad Iacobum Geelium, bibliothecae egregiae Lugduno-Batavae praefectum egregium, datis munito et ab hoc viro unice humano atque urbano benignissime excepto et civibus commutato, uti licebat. Vidi, audivi, adii praeter Mahnium, senem venerabilem, viros illu-

*) Occasione oblata liceat alterius codicis Gallici mentionem inicere: codex ille conclamatus Horatii Augustodunensis (nam Augustodunensis est, non, ut olim perperam scripsi, Autissiodorensis), de quo dixi anal. ad carm. Horat. historiam V p. 23 sqq., in bibliothecam nationalem Parisinam videtur pervenisse v. Aem. Chatelain rev. de philol. n. s. XII a. 1888 p. 13 sqq. Ipsa illa analecta per mediam aetatem mox continuabit M. Manitius, vir eruditissimus, me ipso multo melius in his litteris versatus cf. Philol. n. s. I. 710 sq.

strissimos Bakium et Hofmanum - Peerlkamp, Leemansium atque Janssenum, musei custodes peritissimos atque humanissimos, Suringarium, tunc atque etiam nunc, quod maxime gaudeo, gymnasii Leidensis rectorem doctum, strenuum, amabilem, per omnes hos annos mutuae amicitiae vinculo mecum coniunctum, Cobetum, tum iuventutis philologicae Batavae principem, nuper ex itinere longinquo reducem et summa cum laude ac spe a praeceptoribus et commilitonibus salutatum, et Pluygersium, iuvenem humanissimum, Geelii postea successorem. Ab omnibus his benigne exceptus et in studiis meis ab iis, quibus familiarius uti licebat, prae omnibus ab ipso Geelio liberalissime adiutus, comitate et beneficiis ita devinctus sum, ut-quod ex eiustula ad Geelium et C. B. Hasium data, ante hos fere triginta sex annos editioni meae Noctium Gellii Atticarum minori priori praemissa repeto- et laetos inde Italiae campos peragrans et in patriam reversus eorum, quos Leidae degi mensium suavissimam recordationem memoria semper custodierim hodieque post tot annos praeterlapsos custodiam. Sed iam tum, quamvis summa admiratione ingenii atque eruditionis Peerlkampii ac Bakii detinebar, non ignorabam, eam methodum, qua veteres auctores tractarent atque tractandos esse exemplo scholisque docerent, ab ea, quam a Carolo Lachmanno praeceptore incomparabili edoctus eram atque a Friderico Ritschelio non minus accurate ac severe exerceri videbam, haud parum distare. Etsi sic quoque ab illis hominibus, magnis ingenii dotibus atque acrimonia non vulgari praeditis, praestari videbam, quae legibus quidem illis, unice, ut tum arbitrabar hodieque arbitror, ad artem criticam in auctoribus veteribus exercendam aptis non satis responderent, multa vero attentione animi, haud pauca admiratione digna continerent, tamen rationem illam in universum probare non poteram. Ac sic etiam per proximos annos, cum Cobetus, eximiis ingenii dotibus et singulari linguae ac palaeographiae Graecae peritia insignis, multa deinceps amplissimorum studiorum documenta ederet et magis magisque philologiae Batavae dux existeret, saepe sane splendidissimos illos eruditionis et acrimoniae fructus admirabar, non minus fere saepe tamen sana rectaque coniecturis temptare mihi videbatur, regulis imprimis de sermonis Graeci usu propositis, quae usui sane sermonis Attici generalis, quem eo melius nemo novit, responderent, sed non aequae ad omnes auctores ita pertinent, ut quidquid ab iis deflecteret, haud raro ex propria singulorum scriptorum indole explicandum atque interpretandum, grammaticorum et librariorum sive inscitiae sive negligentiae tribuendum atque aut mutandum aut funditus delendum esset. Atque haec nimia quaedam coniciendi licentia etiam nunc apud plerosque eius amicos atque discipulos grassatur. Iam cum Lugduni versabar memini me saepius hospitali eorum invitationi obtemperantem adire fratres duos honestissimos atque humanissimos, studiis summa cum assiduitate deditos ac iam tum doctis exteris non ignotos, una habitantes, atque ad caminum assidentem, theam coffeamve benigne oblatam sorbentem herbaeque nicotianae fumum per tubulum fictilem pro Batavorum more haurientem cum iis Latine - nam Osce et Volsee fabulari utrique nesciebamus - de litteris communibus amoene fabulari. Neuter tum aut publico muneri aut privato alicui officio addictus erat: per totos dies ab horis inde matutinis usque ad vespertinum nocturnumve tempus continuae Graecorum scriptorum lectioni intenti erant eique, ut ipsi ingenue fatebantur, unice eam ob rem susceptae, ut coniecturas facerent. Quorum studiorum fructus satis amplos postea ediderunt, qui haud pauca eruditionis et acrimoniae indicia non minus continebant quam sat multos conatus ex perverso illo coniciendi

quasi pruritu oriundos. Eidem fere studiorum rationi nimis artis finibus circumscriptae inter populares eorum manifesto alii haud pauci homines docti et tum dediti erant et etiamnunc dediti sunt: scriptores sive Graecos sive Latinos deinceps arripiunt eosque ad normam fere illam similesve leges haud raro nimis celeriter ac festinanter constitutas pro gustu sensuque suo immutare student. Neque apud alios, nostrates imprimis atque Anglos, deesse, qui simili coniectandi cupidine incensi veteres scriptores et Graecos et Latinos nullam aliam ob causam tractent, nisi ut coniecturas faciant, saepe minus eruditi illi ac sagaces quam Batavi esse solent, non est quod eos doceam, qui has litteras attento animo prosequuntur. Quo ex studio multas probabiles, aliquot palmares emendationes ortas esse nemo negabit; sed multo plures verborum in optimis libris manuscriptis traditorum mutationes operaria fere illa, ut ita dicam, ratione procusas inutiles esse atque arbitrarias inter omnes philologos iustae ac severae veteres scriptores tractandi methodo deditos constat. Nam qui per Immanuelem Bekkerum ac Carolum Lachmannum eorumque assecclas ac discipulos hanc methodum sequi docti sunt, tum demum ad mutationes temptandas accedunt, si conexu sententiarum accurate ac sine opinione praeiudicata examinato legibusque grammaticis sive ad linguam universam sive ad eam, qua scriptor utitur, dialectum sive ad genus dicendi operis poetici vel pedestris ab eo compositi sive denique ad usum ipsius proprium ac peculiarem pertinentibus diligenter pervestigatis rectam interpretandi verba tradita viam inire nequeunt.*) Dum igitur illi numquam sine modestia aliqua atque verecundia procedunt, hi quamvis satis docti plerique ac perspicaces, nimis saepe ingenii dotibus abutentes igni ferroque muniti reverendos antiquitatis testes et Graecos et Latinos aggrediuntur atque vulnera iis pro remediis infigunt. Cum autem nostrum sit, adulescentes curae nostrae traditos ad interpretationem artemque criticam recte exercendam adducere atque id non praeceptis tantum, sed exemplis quoque et imitatione dignis et fugiendis ac vitandis fieri debeat, non abs re esse duxi hac scribendi necessitate mihi imposita exempla aliquot proponere rationis illius litteris his nostris, ut arbitror, non utilis, quae saepe sana delet atque haud raro minus sana inserit. Nam genus hoc scriptionum academicarum imprimis ipsis commilitonibus nostris erudiendis destinatum maxime mihi idoneum videtur ad ea proponenda, quae iis potissimum dicamus et ab iis legi atque usurpari optamus, atque hoc potissimum cummaxime in hanc commentatiunculam cadit, qua exempla illa ex poeta Romano petam, quem per ipsos hos menses aestivos adulescentibus harum litterarum studiosis interpretaturus sum.

Quod Propertius (III. 24, 19) exclamat: 'Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono', hoc semper philologo criticam artem exercenti praesto esse debet, nisi, quod rarissime evenit, is scriptor, cui cummaxime operam dat, sive ipse a mente bona destitutus est sive ab ea destitutum se esse fingit. Quo magis vero simplex et nativa scriptoris alicuius indoles est, eo accuratius hanc legem servare oportet, ita scilicet, ut ab artificiosa et contorta eius verba cum interpretandi, tum, si corrupta videntur, emendandi ratione diligentissime caveamus. Ad hos scriptores, qui, ut cum ipso poeta loquar, perlucidiores sunt vitro

*) Idem quod hoc loco ab arte critica ad sermonem pertinente postulatur etiam ad *crisin logicam*, *historicam*, *aestheticam* mutatis mutandis spectare per se patet.

pertinet Horatius, tam perspicuus ille, ut epistulam prosa oratione quasi commendantis se Maecenati, quae sub titulo eius in manus suas venerat, falsam unice eam ob rem Suetonius putaret, quod obscura erat, quo vitio, ut merito addit, minime tenebatur. Cum praeterea pauci veteres scriptores traditione, ut ita dicam, tam firma et certa ad nos propagati sint quam Horatius, credas, emendationi in eo exercendae fines satis angustos praescriptos esse: at praeter poetas scaenicos Graecos, in quos effusa sane licentia certatim grassantur, nemo fere grammaticorum coniecturis aequè temptatus ac fere obrutus est. Quarum altiore ac sublimiore, quod fertur, genere, quod cum ad transpositiones, quae dicuntur, tum ad versus, strophas, carmina insitiva investiganda et eicienda pertinet, ad tempus omissis, alterius in singulis modo verbis sententiisque emendandis occupato exempla nonnulla proponere libet. Quae igitur ita nobis in libris Horatianis tradita sunt, ut illi poetae proprietati primo obtutu contraria esse videantur, ea sedulo quidem undecumque contemplanda sunt, num iustam tamen et a poetae indole illa non remotam eamque ob rem tolerabilem interpretationem admittant: si vero inveniri nequit, perversae interpretationi, a bona illa mente, quae ipsius poetae mens est, alienae praeferri debet emendatio eaque, ut per se patet, ita comparata, ut minima ope externa adhibita aptus poetae ac simplex sensus evadat. Sane igitur fieri potest, ut talis locus usque ad hanc aetatem per omnes editiones tamquam sanus propagatus, tamen, quia simplicem hanc atque unice Horatii indoli convenientem explicationem non admittat, in suspicionem vocandus sit. At de rarissimis huius generis exemplis nunc non loquimur, sed de altero illo genere, quod vitia sananda non inter studia ad scriptorem recte intellegendum et aestimandum atque ad fructus ex operibus eius decerptos ad grammaticam, litterarum historiam universamque antiquitatem illustrandam adhibenda per labores amplos ac longinquos invenit, sed data opera horum omnium fere incuriosum unice quaerit atque coniecturas, quae pro emendationibus venditat, non manu, sed ὀλφ τῷ θυλάκῳ fundit vel nullis aut parcissimis argumentationibus adiectis, vel spissis maximae interdum eruditionis nubibus simplicem locorum sensum obscurantibus magis quam illuminantibus. Nec in alteris illis etsi iusta ratione inventis omnia vera esse, philologus harum rerum aliquatenus saltem peritus exspectabit aut poscet, memor eorum, quae summus Godofredus Hermannus olim dixit, ipse sane ad coniecturas proferendas paullo propensior, sed divino fere instinctu, non sedentaria illa morositate antiquis litteris promovendis atque illustrandis intentus, contentos nos esse debere, si inter duodenas coniecturas singulae modo rectae inveniantur. Plausu igitur nostro non indignas existimabimus eas commentationes criticas, quae ex studio veri inveniendi atque, si opus esset, instaurandi ab hominibus profectae sunt, qui probe intellegebant emendandi facultatem non totam in quadam celeritate ingenii cogitationisque acumine esse positam, sed ipsam quoque in artem quasi quandam redigi posse, atque, si universe iudicetur, eos qui in codicibus conferendis eorumque familiis, quas vocant, describendis versati sint, dummodo probabilis scientia instructi fuerint, plus fere profecisse, quam ingeniosissimos atque antiquitatis peritissimos, qui certam viam nullam secuti modo summa quaeque attigerint, modo longissime a vero aberraverint. Verba haec hamulis inclusa sunt Ioannis Horkelii, olim mecum seminarii philologici Berolinensis ducibus primariis Augusto Boeckhio et Carolo Lachmanno sodalis, praematura morte litteris communibus iam dudum erepti, ex praefatione analectorum Horatianorum Berolini a. 1852 ab eo editorum p. 1 sq. petita. Qui etsi in proxime sequen-

tibus me quidem iudice non omnino recte de codicibus Horatianis iudicat, tamen in poetae sermonem atque sensum tam sollerter se insinuavit, quid in scriptura tradita offenderet tam plane et lucide tamque facete ac lepide exposuit, in ipsa emendatione palaeographiae ratione considerate et circumspicte habita tam cautum ac modestum se gessit, ut, quamvis saepius cum sana temptarit, tum coniecturas minus probabiles protulerit atque in universum emendationes omnino non dubias, ut omnino rarissimae sunt, ita et ipse perpaucas tantum procreaverit, tamen et olim libellus ille eius aptus esse mihi visus sit et hodie aptus esse videatur, qui vobis, commilitones — nam iam vos ipsos alloqui iuvat —, tamquam documentum aliquod artis criticae accurato studio vestro dignum commendetur, quia luculento exemplo monstrat, quo sensu et qua via in hoc quaestionum genere ad verum inveniendum procedendum sit.

Alia contra, quae licentius in verba tradita ita grassantur, ut revera ex ea ratione veteres scriptores legendi orta esse videantur, quam supra descripsi ac tamquam a recta litteras antiquas tractandi methodo aliena vituperavi, non, sicut Horkelianus ille libellus eiusque similes ad iustam in poeta emendando rationem cognoscendam a vobis usurpari poterunt, neque opus est, tam diu ac strenue iis immoremur quam illi, quem penitus cognoscere vobis non inutile erit, nam foliis nonnullis perlustratis ex unguibus leones cognoscetis: huic generi, ut nonnulla tantum delibem, adnumero F. I. Schwerdtii, qui Lachmanni ac Bentleii vestigia premere nimis audacter sibi videtur, specimen novae editionis Horatianae (Monasterii a. 1863) infelicibus mirisque inventis scatens, Roberti Unger, viri sane acuti atque in eruditionis vel remotissimae campis versatissimi, sed ultra iustae artis fines evagantis, emendationes, quas vocat, Horatianas (Halis a. 1872), Aemilii Baehrens, post multos ac partim sane haud infructuosos labores nuper defuncti, antequam ad maturam ac rectam feracis ingenii sui dotum explicationem pervenerit, lectiones Horatianas (Groningae 1880), quae omnia vobis, ut quae de Graecis litteris Cato consorarius olim dixit ad haec studia adhibeam, bonum sit inspicere, non perdiscere.

Recentissimum vero talium studiorum Horatianorum, quod sciam, exemplum praebet commentatio aliqua 'Lectiones Venusinae' inscripta et nuper Mnemosynes volumini sexti decimi novae seriei (p. 293—315) inserta, quam conscripsit J. J. Cornelissen, vir et ipse sane ingenio atque acumine non carens, sed nimis libidini suae, ea, quae sibi placent, pro iis, quae ipsis veteribus scriptoribus placuerunt, verbis eorum inserendi indulgens. Cuius conatus in verbis carminum Horatianorum per libros potissimum tres priores emendandis prolatis singillatim hic vobiscum communicare nolo; unum alterumve modo cum scriptura vulgari compositum ante oculos vobis ponam, ut videatis, subitaria magis illa, quam supra descripsi, ratione has poetae verborum immutationes ortas esse quam arte iusta circumspicione et cautione frenata.*)

*) Subveretur vir illustrissimus p. 315, ne nonnulli loci, quos primus emendasse sibi visus sit, ab aliis iam ante se eadem ratione sint sanati, merito censens, excusationem sibi paratum iri propter immensum litterarum Horatianarum ambitum nec minus merito eos castigans, qui propter talia altos clamores tollunt, probris innocentem auctorem onerantes, tamquam aliena scrinia compilaverit. A quorum, ut verbo Lactantiano

Qua in re non longis verborum ambagibus utar, cum interpretum, Kiesslingii prae ceteris, adnotationibus inspectis, immerito scripturam traditam iis locis, ubi nemo adhuc aut prudentiorum certe nemo offendit, sperni visuri sitis; ubi autem re vera offendere quis possit, ibi C. remediis plerumque nimis fortibus ac parum probabilibus usus est, quod ipsa utriusque scripturae comparatione patet.

Sic, ut nonnullis exemplis defungar, quibus omnia fere reliqua similia sunt, c. I. 5, 10 non nimis quidem certe ab apicibus traditis qui semper *vacuam*, semper *amabilem* *Sperat* *p* praecedente *abest*, quod C. *poscit* '*placidam*', sed omnino recte illud se habet neque erat, cur Orellii interpretationem merito ab Hirschfeldero servatam '*vacuam ab aliis amatoribus sibique unice deditam*' sperneret, quam rectam esse ipsa sententia manifesto docet, ut merito et Kiesslingius et Dillenburgerus, vir candidissimus et simplici veri sensu praeditus, ne adnotatione quidem egere hunc locum censuerint. Sic I. 13 v. 17 *si*, quod Bentleio auctore, qui lectores unice ad interpretes delegat, *nego*, '*oscula, quae Venus Quinta parte sui nectaris imbuat*' emendatione egeret, certe '*Quanta parte*', quod Ramirez de Prado a Bentleio commemoratus protulit, praefendum esset et conatui Łowińskiano parum gratioso '*Uncta parte*' et Cornelisseniano, dubitanter sane prolato, '*Gutta forte*' non magis gratioso et a scriptura tradita longius distanti. Tum, ut gradu paulo celeriore procedam, I. 15, 15 '*Inbelli cithara carmina divides*' in '*tinnies*' nodum fere in scirpo quaerens mutat C.; 31, 7 sq. '*Non rura, quae Liris quieta Mordet aqua taciturnus amnis*' in '*Mulcet*'; 35, 13 '*populus frequens*' in '*fremens*'; II. 1, 20 sq. '*Iam fulgor armorum fugaces Terret equos*' in '*Turbat*'; 7, 14 '*paventem*' in '*latentem*'; 20, 19 '*peritus*' in '*revictus*' etc., qui loci omnino sani et aut recte explicati sunt aut explicatione omnino non egent.

Et si hae mutationes fere omnes satis modestae sunt, aliae, veluti ea, quam secundo loco supra posui, ne accuratius quidem argumentis, quibus ipse emendationis conatus nititur, examinatis inde ab initio reiciendae sunt, quia omni probabilitate palaeographica carent. Ex quarum numero speciminis loco has offeram; III. 4, 5 '*Auditis? an me ludit amabilis insania?*' Horatius, '*Ordire! iam*' C.; 5, 8 '*pro curia inversique mores!*' H., saecula C.; 8, 17 '*Mitte civiles super urbe curas*' H., subtiles C.; 27, 27 sq. '*mediasque fraudes timuit audax*' (Europe sc.) H. Thetidosque C. etc.

Vix credo ex duodequadraginta, opinor, coniecturis a C. non sine acumine sane plerisque prolatis unam ita comparatam esse, ut de ea in verborum ordinem recipienda

utar, pusillanimitate tam longe absum, ut non modo cum Cornelisseno censeam, omnibus his similibusque eorum noscendis humani ingenii vires vix pares existimandas esse, sed etiam credam, vires illas melius usurpari et posse et debere quam ad laborem illum sane Herculeum exanclandum. Equidem igitur nescio, num alia etiam antea ab aliis inventa sint; ex iis, quae ipse enotata habeo, tres tantum locos tales indicatos inveni: c. III 1, 20 in versibus '*Destriectus ensis cui super impia Cervice pendet non Siculae dapes Dulcem elaborabunt soporem, Non avium citharaeque cantus Somnum reducent*' iam A.W. van Geer in quinta decima thesium dissertationi suae de fontibus Plutarchi in vitis Gracchorum (L. B. a. 1878) adnexarum scribi iussit fidium; III. 14, 5 sq. '*Unico gaudens mulier marito Prodeat castis operata sacris*', ubi Integro et donis proposuit Cornelissenus, illud praeripuit Aem. Baehrens ed. Catulli II p. 113; IV. 4, 14 sq. '*fulvae matris ab ubere Lactante*' (pro '*Iam lacte*') '*depulsum leonem*' edidit Franc. Pauly.

serio cogitari possit, veluti, quod primo sane obtutu mihi commendabile videbatur III. 24, 54 sq. 'nescit equo rudi Haerere ingenuus puer' pro 'rudis' eo refellitur, quod inde tollitur oppositio recte observata inter 'rudis' et verba proxime insequentia 'ludere doctior'.

Omnino exempla corruptelarum verbalium nostris demum diebus detectarum rarissima esse diximus. Quod et per se exspectari debet, cum per quattuor haec saecula criticorum, atque inter eos summorum hominum, studia in operibus Horatii recensendis atque emendandis versata sint, et experientia plerumque vel in iis comprobatur, quae tam speciosa sunt, ut statim initio multorum plausu excipiantur. Solet tamen ille plausus, ut a viris et ipsis, artem criticam exercentibus datus, sic comparatus esse, ut primum alii quidem mero consensu prosperum illud, ut ipsis videtur, inventum prosequantur, tum alii corruptelam recte quidem patefactam esse concedant, sed meliore medicamento sanari posse contendant; his fere inter se certantibus deinde existunt, qui scripturam traditam defendant, partim sane perperam, partim merito, ita ut plaudentibus prudentibus ad scripturam primariam interim addubitatum redeant editores atque interpretes. Cuius rei specimen maxime memorabile praebet epistulae libri primi extremae, quam vobiscum mox pertractaturus sum, versus vicesimi quarti clausula, qua 'praecanum, solibus aptum' se esse Horatius dicit. Quod cum prudentiores interpretes et vetusti et recentiores ita fere interpretati sint, ut Horatius se caloris amantem ideoque ad apricationem ipsa fere natura quasi destinatum atque idoneum significaverit, collatis imprimis Persii, constanter Horatii vestigia prementis, versus satirae quintae centesimi septuagesimi noni 'apricis senibus', Doederleinus ipsum aptus vocabulum huic explicationi non aptum immerito existimans*) de Horatii calvitie, ne satis quidem locis ab eo allatis indicata, facete sane, ut eius mos erat, sed certe non recte, verba illa intellegenda esse censuit in lectionum Horatianarum decade Erlangae a. 1828 edita, quod et in orat. et commentat. vol. alt. p. 229 repetendum esse censuit et in editione epistularum Horatianarum cum versione Germanica (Lips. a. 1858) I p. 161. Cum vero opus esset, ut perversa hac interpretatione reiecta ad simplicem illam atque rectam verborum traditorum explicationem rediretur, aliter res evenit. Nam Augustus Meinekius, vir ingeniosissimus sane et acutissimus, sed inde etiam ad mutandas scripturas traditas paulo promptior, cum iteratis curis Horatium anno 1854 ederet, interpretationem quidem illam addubitavit, sed haud minus de voc. 'aptus' Doederleinio assentiens in praefationis illi editioni praemissae p. XXXIX coniecturam ad locum eo usque a nemine vellicatum proposuit eamque satis a scriptura tradita remotam (1) solis amicis. Dubitatione semel mota secuti

*) Cf. modo praeter multa alia a viris doctis congesta, veluti ipsius Horatii sat. I. 3, v. 29 sq. 'Iracundior est paullo, minus aptus acutis Naribus horum hominum' et Ovidii Metam. III. v. 596 'portus puppibus aptos', ab Ottone Kellero indicatum, ea, quae Guilelmus de Hartel attulit in actis gymnasiolorum Austriacorum a. 1876 p. 261, earundem scil. Metamorphoseon lib. XIV. v. 25 sq. de Circe Glauci amore incensa 'At Circe, neque enim flammis habet aptius ulla Talibus ingenium' ('liebeempfanglicher O. Korn) et eiusdem poetae artis amandi lib. I. v. 237 'Vina parant animos faciuntque caloribus aptos', qui loci cur aliis non satis probabiles esse videantur, equidem non perspicio; add. et am. I. 5, v. 20 (v. p. 10) et Iuv. 7 v. 58 sq. a Weidnero adlatum (philol. 35, 566) 'cupidusque silvarum aptusque bibendis Fontibus Aonidum'; ad rem cf. imprimis Cic. d. sen. § 57. 'Ubi enim potest illa aetas aut calescere vel apricatione melius vel igni aut vicissim umbris aquisve refrigerari salubrius?'

sunt ac primo quidem pedetemptim ac per satis longa intervalla alii nonnulli: primus, quod sciam, W. Hamacher, qui in schedis criticis Aug. Trev. a. 1858 editis, 'praecanum' etiam, quod aperte Persius iam legit, perperam spreto — nam sive 'praeproperere canum' explices sive 'valde canum', qua de re dubitari possit, mutatione certe non eget —, infelicissime proposuit (2) 'praecanem dotibus aptum'. Quod cum a nemine probatum sit, per decennium insequens verba illa intacta, quod sciam, manserunt; tum vero spreta quidem Doederleinii interpretatione nec minus recte Meinekii coniecturam lepidam, sed non probabilem existimans, vestigiis tamen eius insistens lusibusque aptum locum ratus ipsa haec verba (3) 'lusibus aptum', coniecturam et ipsam item lepidam, sed non probabilem, non tantum proposuit, sed vel in verborum ordinem recepit Otto Ribbeck a. 1869; qua coniectura certe tolerabili multo peior ea quam anno post in adnotatione ad h. l. commemoravit O. Keller ab operis socio Alfredo Holder excogitatam (4) 'sodibus aptum', quod tam prope ad scripturam traditam accedit quam longe ab omni linguae Latinae usu, quantum mihi quidem innotuit, abest. Sed haec, per amplius tria lustra sensim existentia, turbas maiores non moverunt: lectio tradita in editionibus praeter Ribbeckianam per omne id tempus intacta mansit atque eodem fere tempore, quo sollicitata est a Ribbeckio, rectissime me quidem iudice amabilissimae huic omnium, ut merito ait, epistularum adversum Meinekium eam vindicavit Carolus Lehrs (praef. edit. p. CXCV), cui alibi saepissime, in Horatio sane raro, sed tum eo libentius, assentior. Merito reprobata eiusdem Meinekii sententia, cui post v. 18 hiare videbatur oratio, ut complures versus excidisse suspicaretur, sic pergit vir et ipse amabilissimus 'Am allerwenigsten aber kann ich mir das solibus aptum rauben lassen. Dass Horaz 'für Sonnenscheine gemacht ist', das steht bei mir in seinem Bilde als einer der wesentlichsten Züge. Er hat ihn ja oft genug ausdrücklich und unausdrücklich zu erkennen gegeben. Sein behagliches Frühlingsgefühl, sein sich ziehen nach der Wärme bei der kalten oder fröstelnden Jahreszeit! Ja wohl, er war recht gemacht für die Sonnenscheine. Vielleicht verstehen diejenigen das etwas besser und eindringlicher, welche gerade die Natur in diesem Punkte ebenso organisirt hat. Aber es kann's doch auch ein jeder verstehen. Und an aptus, was kann denn daran für ein Anstoss sein? Es ist ja gar kein anderes aptus als jenes aus dem gleichfalls kurzen, aber wie das unsere, zu den schönsten Blüten der Römischen Poesie gehörenden Gedichte des Ovid. Am. I. 5, 20: forma papillarum quam fuit apta premi 'recht gemacht dazu'.

Recte sane nec Doederleinii interpretatio nec eae, quae adhuc commemoratae sunt, coniecturae placuerunt Guilelmo Herbst, viro sagaci atque erudito, tum rectori Portensi, minus recte iustissima haec Lehrsii defensio non minus ei displicuit (ann. phil. LVII a. 1873 p. 830 sq.). Qui praeter alia minus gravia, quae hoc loco repetere longum est*), adversus Lehrsium affirmare posse sibi videtur, 'dass der italische Dichter die Sonne, wie es der Königsberger thun mag, nicht sowohl sucht, als er, wie er manchmal ausdrücklich einge-

*) De 'aptus' voc. Doederleinio immerito assentiens praeterea nimis quaesite premere posse sibi videtur, quod Horatius hoc versu triadem aliquam qualitatum, ut ita dicam, comprehendat, quibus quasi homo exterior manifesto depingatur; solis vero amorem ad visibilitatem, si verbo Tertulliano uti licet, non pertinere.

steht, sie vielmehr flieht, nach dem Schatten verlangend, und dass er zu den sonnebedürftigen Greisen (*senes aprici* Persius 5, 179) eben noch nicht gehört'. Attamen, ne premam Horatium etiam canitiem, quae senum fere est, h. l. sibi tribuere, ut apricus sis, nec Regimonti nec omnino in regione aliqua septentrionali te versari oportet, et Horatium ipsum caloris amantem fuisse eiusque indiguisse demonstrant loci cum his verbis omnino conspirantes a Lehrsio satis indicati, ab aliis nominatim allati sat. II. 3, 10; epp. I. 7, 10 sqq., sane non per menses aestivos fere calidissimos, sed per hiemem haud raro in Italia quoque humidam ac frigidam. Si Herbstius mecum, iuvene tum nondum tricesimum annum agente, menses hiemales inde a m. Novembri a. 1846 Romae degisset*) et in amplis bibliothecae Vaticanae conclavibus pavimentis latericiis instructis et vel focolis ad digitos membraque calefacienda egentibus per aliquot horas continuas quotidie moratus esset, non minus libenter per haud paucas hebdomades asperiores raros solis radios quaesivisset atque exceperisset quam tum sedulo a me factum esse memini. Herbstio vero climatis Italici tum certe satis ignaro, cui eam potissimum ob rem locus hic sanissimus et eo usque vel post Meinekii successorumque eius conatus a plerisque certe pro sano habitus, denuo emendatione egere videbatur, coniecit (5): *solibus ustum* coll. epod. 2, 41 'perusta solibus Pernicis uxor Apuli'. Quod ad rem attineat hanc coniecturam eo se commendare praedicat, quod sic statura, crines, color, tota igitur species poetae exterior describatur, quo sane non opus esse antea iam significavimus, nam statura exigua cum cano capite sufficit fere ad hominis imaginem satis vividam designandam, quae eo perficitur, si, quod cum canitie praepropera fere consentit, caloris studiosus, paulo mollior igitur esse dicitur; id vero transitum idoneum facit ad ea, quae de animi eius condicione adduntur. Si omnino coniectura opus esset, prae omnibus reliquis adlatis et adferendis hanc certe praeferrem: nam et per se nihil habet quo offendant, quamvis, ut mihi quidem videtur, facetam hanc Horatii dictionem in trivalem commutet, et facile faciliusque quam sole perustum, quod et ipsum haud longe ab iis abesse putat, admonente ipso auctore, ex litteris traditis oriri poterat. Nam si haplographia ex *SOLIBVSSTVM* ut fit factum erat *SOLIBVSTVM*, per AP litteras additas in iustam formam haec verba redintegratum iri, opinari sane sive grammatici sive librarii poterant.

Nos vero, qui iam vidimus nulla emendatione hunc locum egere, ne hanc quidem coniecturam probabimus; nam ubi iusta ac sufficiens ipsiusque scriptoris personae conveniens interpretatio institui potest, ab omni emendandi conatu abstinendum esse probe didicistis. At cum Meinekiana coniectura omnino satis tacite excepta et nemini, quod sciam, probata esset ac tres tantum viri docti per proxima duo decennia omnino alias emendationes huic loco adferendas esse censuissent, multo maiores turbas excitabat Herbstiana. Nam non tantum exstiterunt, qui aut 'solibus aptum' illud defenderent, partim haec verba simplicia ac simpliciter explicanda spissa aliqua eruditionis nube advoluta obruentes**), aut

*) Contigit mihi tum, ut non tantum forum et amphitheatrum Neronis per nivem satis altam pervaderem, sed etiam in horto habitationi meae vicino poma rutila in mali aurantiae ramis pendentia nive tecta conspicerem.

**) Hos omnes diligentissime, ut assolet, additis etiam coniecturis tantum non omnibus enumerat Gustavus Krügerus ed. undecimae p. 378 sq.; coniecturae Herbstianae defensoribus addi potest Franciscus

coniecturam Herbstianam probarent et argumentis me quidem iudice omnibus non magis validis quam ipsa illa Herbstiana fulcire studerent, sed haud pauci, qui per proximos annos coniecturas coniecturae Herbstianae et partim pro dolor! etiam Hamacherianae et ipsis inutilibus quasi superstruerent. Et adnotavi equidem has, quarum nulla accuratiore disputatione coram vobis mihi videtur egere, qui sponte intellegitis et sentitis, earum nullam verbis a librariis traditis praefendam, plerasque iis posthabendas esse: coniecerunt scilicet, postquam anno praecedente lis inter Horatianos, ut ita dicam, et Herbstianos satis vehemens et acerba orta esset, quae per proximos quoque annos propagata est, a. 1875 Guil. H. Roscher ann. phil. I 11, 643 sq. (6) 'solibus atrum', Guil. Hirschfelder ad Herbstium se applicans act. gymn. p. 603 sq. (7) prope canum, solibus ustum, Iustus Jeep in epistula a Krügero commemorata (8) solibus assum; a. 1876 O. Müller in programmate Berolinensi 'ein Begleitschreiben des Horaz zu seinen Sermonen' inscripto p. 3 sqq. cum Hamachero eoque non felicior de palma certans (9) 'praeconum sordibus aptum', quod ab Ecksteinio, viro prudentissimo, in verborum ordinem receptum esse mecum mirabimini; a. 1877 R. Unger ann. phil. 115, 493 sqq. (10) follibus aptum; videbantur tum hi aestus deferuisse, sed post aliquot annos iterum duo homines docti in eundem quasi vorticem sese ingurgitaverunt: quorum alter Antonius Łowiński de Horatio συμπτῶτη agens a. 1882 philol. 41, 169 sqq. hoc quoque loco poetam (11) 'potibus aptum' se dicere opinatus est, anno post alter Hermannus Schütz ed. suae III. p. 351 satis recte refutatis nonnullis aliorum coniecturis omnium fere infelicissime (12) sollicitatum: 'Gereizt, sagt er', inquit, 'sei er schnell im Zorn, aber er lasse sich auch leicht versöhnen'.

En igitur duodecim coniecturae, quae non satisfaciunt Hermanniano illi canoni; nam ne una quidem inter eos vera est nec saltem probabilis, neque aliter fieri potuit in loco sanissimo nulla mutatione egente: quod iam ex iis quae praecedunt satis elucere arbitror, sed, ut rem conficiam, vestri commodi causa addam quae scite et prudenter de hoc loco disseruit A. Kiessling. Qui cum iam recte ad l. supra p. 9 n*) l. sat. I. 3, 29 sq. 'minus aptus acutis Naribus horum hominum' adnotasset 'minus aptus, denn nur wer sich keine Blöße giebt, ist geeignet, die 'feinen Nasen' auszuhalten und braucht ihr Herumspüren nicht zu meiden; so ist solibus aptus (epp. I. 20, 24), wer so recht dazu gemacht ist, die lieben Sonnenstrahlen zu vertragen', nuperrime ad nostrum h. l., iterum comparatione cum versu satirarum modo allato instituta adscripsit haec 'wie minus aptus acutis naribus (sat. I. 3, 29) derjenige heisst, der minder geeignet ist, unter die Lupe genommen zu werden, weil er sich Blößen giebt, so ist solibus aptus derjenige, der es verträgt, von den Sonnenstrahlen getroffen zu werden, weil er den warmen Sonnenschein als die grösste Wohlthat empfindet, die ihm zu Theil werden könne, also 'frostig', wie es alte Leute sind, die senes aprici (Pers. 5. 179), und H.

Pauly, Beiträge zur Kritik des Horazscholiasten Porphyrio (Pragae 1875) p. 35, qui vir ceterum haud inscitus ingeniosae explicationi palaeographicae ab Herbstio datae alteram substituit multo minus probabilem, ad 'ustum' scilicet vocabulum 'βαπτών' superscriptum fuisse atque id deinde 'baptum' scriptum, hoc autem in 'aptum' mutatum esse.

fühlte sich ja vor der Zeit alt: s. zu od. II. 11, 15', additis verbis me quidem iudice rem acu tangentibus: 'Jede Aenderung des Wortlautes der Ueberlieferung verdirbt lediglich den Sinn'. Iam spero, cum Gustavum Krügerum, virum prudentem atque in Horatio diu versatum, qui unice etiam nunc Herbstianum illud 'ustum' in editione sua novissima, undecima scil. a. 1885, servavit, 'aptum' illi in proxima locum debitum denuo concessurum esse,*) tum vos commilitones, hac de loco illo narratiuncula non minus quam iis quae praecedunt edoctos et in aliis scriptoribus Graecis Latinisque et in Horatio, qui, ut iam supra questi sumus, cum poetis scaenicis Graecis maxime non tantum audacioribus, sed saepe etiam omnino superfluis atque ineptis coniecturis adfici atque infici solet, recensendis atque emendandis non licenter evagaturos esse ultra terminos arti criticae recte adhibendae constitutos. Sermone autem familiari utens paullo laxius haec omnia procedere volui, opinatus, commodiore hac dicendi ratione ea, quae vobis commendaturus eram, melius memoriae vestrae insinuatam atque inculcatam iri. Id vero unice hac disputatione efficere volui.

*) Scripturam traditam eo certe cautior servavit Lucianus Muller etiam in novissimis editionibus a. 1879 et 1886, in illa tamen adnotationibus instructa addens p. LXIV, eleganter et ut sibi quidem videatur vere solibus illud ustum ab Herbstio inventum esse; quodsi Porphyriorem ita legisse probabile esse dicit, ipsum lemma ibi traditum est 'solibus aptum' nec dissentit hoc ab interpretatione addita 'solitum iacere sub sole et chroma facere'. Quodsi praeterea post alios addit 'Et Apulos vel hodie solibus perustos sat constat', hoc non minus ad Apulos quam ad omnes gentes soli meridiano subiectas pertinet. Ibidem tamen nec O. Mulleri coniecturam praekonum sordibus aptum silendam esse censet, licet eam existimet ingeniosorem esse quam veriore, quorum hoc libens concedo, ingeniosam vero, pace viri illustrissimi et in Horatio fere habitantis dixerim, coniecturam habere nequeo, quae faceta illa et lepida et Horatii indoli aptissima verba me quidem iudice deformat et detorquet.

Scr. Vratislaviae m. Ian. a. MDCCCLXXXIX.
